



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. III LITTERAE APOSTOLICAE **MAXIMA AFFICIMUR** MEMORIAE PRODITUR SUMMUM
PONTIFICEM IOANNEM PAULUM II
DIE UNDEVICESIMO MENSIS IUNII ANNO 1983 IMAGINEM CORONASSE
BEATAE MARIAE VIRGINIS «MATRIS PACIS» IN DIOCESI VARMIENSI Ad perpetuam rei memoriam. – Maxima
afficimur laetitia quotiescumque facultas Nobis contingit signum aliquod dandi Nostrae in Beatissimam Virginem Mariam
pietatis, quam a pueritia Matrem habemus tenerrimam, cuius pluries benignam experti sumus tutelam. Ceterum neminem
fugit quantam eius amor vim habeat tum in Ecclesiae universae sortem prosperandam tum in Christifidelium spiritalem
salutem tutam praestandam. Propensissimo igitur animo precibus indulsimus id temporis Venerabilis Fratris Ioannis
Obłak, Episcopi Varmiensis, qui suum expromens votum simulque cleri et catholici populi, per epistulam ad
Congregationem pro Sacramentis et Cultu Divino die decimo mensis Maii anno millesimo nongentesimo octagesimo
tertio datam, rogavit ut Ipsi Nos in Nostra Apostolica peregrinatione ad Sanctuarium Czestochoviense in Polonia
gratiosae Beatae Mariae Virginis Imagini «Matris Pacis» titulo insignitae, quae multa cum civium frequentia ad omnis
nationis ordines pertinentium in loco colitur lingua vernacula appellato «Stoczek Warmiński», pretiosum diadema
imponere dignaremur. Volentes igitur ut et in hanc caelestem Dominam, immo Reginam, fidelium augeretur obsequium,
et fiducia in eius misericordissima bonitate non solum firma maneret, verum etiam ferventior excitaretur, sicque ea
perantiqua necessitudo pergeretur, qua Illa et Polonica Gens mutuo singularissimoque vinculo coniunguntur, Claromonte
Czestochoviensi illud egimus quod postulatum erat, ut faceremus: ritu nempe omnino memorabili Sanctissimae Virginis
Imaginem, cum Iesu Infante effectam, corona redimimus die undevicesimo mensis Iunii anno eodem, quem supra
memoravimus, quae quodammodo testificaretur voluntatem Eam semper venerandi, sequendi, diligendi, quae
solidissima est omnium christianorum spes et ad caelum via plana et secura. Ut vero tam faustae rei posteris proderetur
memoria, has Litteras dari iussimus, facti testes verissimas. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris,*
die XXIII mensis Februarii, anno MCMLXXXIX, Pontificatus Nostri undecimo. AUGUSTINUS card. CASAROLI, *a publicis*
Ecclesiae negotiis © Copyright 1989 - Libreria Editrice Vaticana
